Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1701
Quelle:
Copyright:

Ave mitis imperatrix,
Ave vite restauratrix,
Ave potens advocatrix
Ave legis noue latrix &c.

DCCIX.

R. 3127 Codex membraneus lat. Sec. XIV. et XIII. Folior. 186. 4. plurium manibus partim per duas columnas, partim lineis longis, potissimum tamen eleganter exaratus, et rubricis distinctus hanc Notam praefert: *Iste liber est fratrum carthusiensium Domus Porte beate Marie virginis in Axpach provincie Austrie* (infer.) *fundacionis domini Haydenrici de Meyssaw ac sue conthoralis domine Anne de chünring quorum anime requiescant in pace. Amen.* Est vero Compilatio sequentibus constans: I. Expositione prolixa *Orationis Dominicae* absque titulo, litera capitali deaurata, ad calcem tamen ita subscripta: *Explicit istud opus super Pater noster per manus fratris Johannis Cutnensis.* Hunc Librarium potius habeo, quam Autorem Expositionis, quae incipit: *Pater noster qui es in celis. et cetera. Karissimi. vos scire debetis quod inter omnia opera que possunt fieri in hac vita. nullum opus est honorabilius nullum leuius nullum vtilius. quam orare Deum* &c. Si tamen *Johannes* ille, vel alius *Bohemus* Autor foret, nihil ad *quartam* Petitionem de Calice, sed de solo Pane eucharistico.

II. *fol.* 52. *Incipit tractatus Petri blesen. super Job.* Exemplar perfectius illo, quod jam alio *Cod.* indicavi, non tamen Textu edito in *Opp. omn. Paris.* 1667. p. 407. f. Initium: *Heinrico dei gracia illustrissimo anglorum regi* &c. Finis: *altissimi filius ihesus christus qui cum patre et spiritu sancto triumphat et regnat* &c.

III. *fol.* 76. p. 2. praemissis 7. Versibus de totidem Virtutibus, qui retro lecti totidem Vitiorum sensa exprimunt, et admodum hiulci sunt, *Incipit forma mundi.* Dicta alias *Imago mundi*, et T. XX. *Biblioth. PP. Lugd.* cum aliis *Honorii Solitarii*, seu *Augustodunensis* Operibus p. 966. repraesentata. Adscribam tamen hic, quae ibi non reperio. Primum ante *Christiani ad Honorium Epistolam* istud Praefamen habemus: *Duo sunt sibi contraria. status et motus. Hic liber scribitur de mundo. qui loco continetur, per tempus mouetur. Primus liber est de loco in quo mundus statuitur. Secundus de tempore per quod uoluitur. Tercius de serie generacionum que sibi locis et temporibus succedunt.* Dein post *Honorii Responsum* nobis *Honorius inuitat lectorem ad legendum.* Ita quidem: *Rogo autem te lector si tamen pre domina invidia audeas. ne huius opusculi latorem uilipendas. Ego quippe uigilaui ut tu dormias. ego laboraui ut tu quiescas. Tuus solummodo labor erit, ut per legenda intelligentia implearis, et scientia preditus clarus ab omnibus habearis. Si autem quod magis spero rabido corde et nebulosa facie hijs*